



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Constantinus Conf. 26. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

806 VITÆ SANCTORUM. 26. Dec.  
gemmis gravem, per fenestram demissâ,  
totam pauperum cohortem vestivit.  
Mox, ut cum cœnobio aulam liceret  
mutare, prudenter desipere se adsimu-  
lavit. Iterum deinde insidiantem Maxi-  
mianum virili veste elusit, cumque jam  
non hanc modò, sed animum etiam  
virilem induisset, & IN DEN mari mer-  
sum extractumque tumulasset, cæsa pro  
Christo, & in ignes coniecta, ex Sa-  
cerdote rectè victima est facta. Ex  
Metaphr.

*Audiant Christiani qui quotidie cor-  
pus Christi attingunt, quantam de ipso  
corpore sumere possint medicinam; quan-  
do mulier totam rapuit de solâ Christi  
fimbriâ sanitatem. Sed quod nobis flen-  
dum est, nobis medicina ipsa retorquetur  
ad vulnus. S. Pet. Chryl. serm. 34.*

S. CONSTANTINUS CONE.  
26. Decembris.

**N**atus est hic CONSTANTINUS  
Hebræus, vixit verò Christianus,  
cùm Christianum alium, qui in fossam  
lapsus signo crucis se munierat, sur-  
gere incolumem vidisset. Ab eo tem-  
pore ita CHRISTI crucisque amore  
arsit, ut flammæ pectoris prodigiosus  
in vultu splendor proderet. Impuram  
è gente suâ puellam ad illicita se pellicentem

26. Dec. VITÆ SANCTORUM. 807  
cientem cruce neci dedit ; cruce vitæ  
reddidit. In canobium deinde , divi-  
no ductu , cum venisset , dum Serva-  
toris è cruce pendentis pedibus osculum  
tulit , Servator ipse amplexum ille re-  
pendit , simul suâ manu ductam crucem  
fronti ejus impressit. Ipse quoque locum  
eum , quo sacris undis est tinctus , pedum  
suorum vestigiis insignem ; eum verò ,  
quo preces solitus est facere , caelesti-  
bus odoribus nobilem fecit. Jam tem-  
plorum portæ spontè illi pandebantur.  
Totus oculus illa etiam , quæ in ani-  
mis hominum gerebantur , pervidit : un-  
das sicco , cum libuit , pede perambula-  
vit , terrâ obrutus umbilico tenus xz.  
dies sine cibo duravit. Obiit verò anno,  
postquam sacris est initiatus , VI I I I.  
verissimus Abrahæ filius. *Ex Menais.*

*Cùm cruce signaris , in mentem tibi  
veniat omnis vis , quam crux continet ,  
ac tum iram omnesque à ratione adversos  
impetus extinxeris. Cùm frons consigna-  
bitur , aut reliqua membra , facit ut ipse  
hostiam Deo gratum offeras. S. Chrysost.  
de Ven. crucis.*

Ecc 4

S. IO-